Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35453
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

monia habuit. Et 2ᵐ gregorius
vniversis viciis plenam quod per mul-
titudine viciorum iam non alio nomine
quam peccatricis nomine appellaretur.
Nunquid maius peccatum habes quam petrus
qui ter dominum negavit. Nunquid mi-
nus habes de tempore quam latro qui
in ultimo puncto vite sue pe-
nitenciam egit et veniam promeruit.
Certus sum si hore primam accen-
dis et exemplum nunquam desperabis
¶ Secundo docuit penitentes a-
peccatis absolvendo. Unde legitur in Johanne
quod dixit mulieri adultere vade
et amplius noli peccare. Audi
quam utilissima est doctrina huius
doctoris Jhesu christi. ¶ 3º docuit
caritatem unde legitur in matheo
quod quidam legis peritus venit
ad eum et quesivit ab eo dicens magister
quod est in lege mandatum maius et
Ait illi Jhesus Diliges dominum deum
tuum ex toto corde tuo. hoc est
primum mandatum et maximum. Secundum
vero est simile huic. Diliges proxi-
mum tuum sicut te ipsum. In istis
mandatis tota lex pendet et
prophete. O quam brevis et utilis doc-
trina. Si non potes omnia in memoria
habere. habeas tamen dilectionem ad deum
et ad proximum et salvus eris ¶
Tercium de quo legitur quod dominus
est Jhesus fuit summus sacerdos.

Iste Jhesus fuit avus illius Jhesu
qui composuit ecclesiasticum. ¶ Sed non quod
summus pontifex in lege templorum
officium habuit. hostias deo ymmo-
lando. sancta sanctorum solus intrando.
et pro populo orando. Istud officium
habuit noster Jhesus quando se pro peccatis
nostris obtulit. per sacrificia veteris
legis mundus non potuit redimi
neque offensa patris placari. legitur
Levitici 18. quod pontifex veteris legis
obtulit sanguinem. et illud septies
aspersit coram altari ut sanctificaret.
Sed iste pontifex Jhesus christus proprium
sanguinem obtulit. et fudit illum septies
ut sanctificaret ecclesiam suam. Primo
in circumcisione ut hodie. 2º in agonia
ne. 3º in flagellacione. 4º in coro-
natione. 5º in manuum perforatione
6º in pedum affixione. 7ᵐᵒ in
lateris apericione. ¶ Secundo solus
in sancta sanctorum intravit. et tunc sicut
legitur. Levitici nullus homo ausus
fuit intrare in tabernaculum. Istud
officium habuit noster Jhesus quando sancta
sanctorum intravit. scilicet celos ascendendo.
Sed nunquid solus intravit. absit.
Quid enim nobis prodesset si solus
intrasset celum. et nos exclusi. Sed
non solum ipse intravit celum. Sed viam
eciam aperuit. ut omnes homines intrare
possent. Unde ipse dicit in Johanne
Pater. volo ut ubi sum. illic sit et